

AMPLISSIMO  
SENATORVM ORDINI CI-  
VITATIS NORICAE DOMINIS PRV-  
dentissimis Ioannes Schonerus Carolo-  
stadius S. P. D.



ASTROLOGIAM olim, P. C. non nisi apud summos Reges in precio fuisse, nemo qui temporū legerit historias, ignorat. Sublimior enim ea cognitio habita est semper, quàm ut uulgi humilitas ad eam ascendere possit unquã. Nam nascendi, moriendiq; causam ex motu provenire cœli, tanquam occasum ab ortu, aut finem ab initio, à non nisi summis ingenijs percipitur satis. Quinetiam uniuersa illa rerum natura, quid aliud est, quàm ordinata quædam, sibiq; semper constans immutatio, atq; conuersio? Quid illa rerum cum generatio, ut uocant, tum corruptio: quid deniq; uita & mors est animantium, quàm quidam ab initio ad finem usq; motus? Præterea quid motus ille cœli, tum stellarum aliarum radiationes mortalium generi præstent, ex ipsius Solis & Lunæ motibus existimare licebit. Sol enim non semper easdem & simul æquales in corporibus nostris excitat qualitates, sed pro ea regione cœli quam peragrât, dum est aut propinquior aut remotior à conspectu nostro, agere manifestissime comprobatur.

ij Quare